

Annunte sacro sancta montriade, disputatio medica, exhibens aegrum epilepticum ... / praesidente ... Dn. Georgio Wolffgango Wedelio ... publicae ac placidae Philiatorum ventilationi atq[ue] censurae subjecta à Simone Zeidelern ... Ad diem Martii A.C.M DC LXXIII.

Contributors

Zeideler, Simon, active 1673-1674.
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.
Krebs, Samuel

Publication/Creation

Jenae : Typis Samuelis Krebsii, [1673]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gcrf6vv2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ANNUENTE SACRO-SANCTA MONOTRIADE; 4
DISPUTATIO MEDICA,

exhibens

Ægrum Epilepticum

AUTORITATE

Illustris & Gratosissima Facultatis

Medicæ in florentissima Salanâ,

PRÆSIDENTE

V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo atque
Experientissimo*

DN. GEORGIO WOLFF
GANGO WEDELIO,

Med. D. Anatom. Chirurg. ac Botan. Pro

Publ. longè meritissimo, S.R.I. Acad. Natur. Curios. Col-
legæ felicissimo & spectatissimo,

*Dn. Patrono, Promotore ac Præceptore suo nullo non observan-
tiæ & honoris obsequio atatem æstimatissimo,*

publicæ ac placidæ Philiatorum ventilationi atq; censuræ subiecta
à

SIMONE Zeidelern / CALA TYRIGET
A. & R.

In Auditorio Medico,

H. Lg. C.

Ad diem Martii A. C. cId Idc LXXIII.

J E N Æ,

TYPIS SAMUELIS KREBSII.



Q.D.B.V.



Uod in Gymnasiis est chria vel declamatio, id in medicinâ sunt consultationes. Hæ enim circa particulares casus occupatæ longè optimè medicum futurum exercent.

Qui tabulas Geographicas inspiciunt, nosse quidem situm loci, & incolas ex additâ descriptione possunt, sed longè melius informatur de hisce omnibus, qui iter eò fecit, & oculis propriis singula usurpavit. Pari ratione bonum quidem est, morborum therapiam nosse, unde oriantur, quibus signis deprehendantur, quæ postulent remedia; melius verò longè est exerceri in individualibus consultationibus seu casibus. Dici vix potest, quantum inde emergat utilitatis.

Medicos in consultando in omnia inquirere decet, & συνεργὸς γενέσθαι εἰς ἄπορην βοηθίαν, cooperarios fieri in promptâ facilitate & facili promptitudine auxilii, teste Coo l. de præcept. c. 7.

Nos inpræsentiarum sistimus epilepticum, de ejus morbo & curatione mentem nostram cum aliis communicantes, quod Feliciter evenire jubeat Deus.

HISTORIA.



Uvenis 18. annorum, epilepticis parentibus satus, temperamentum cholericum, natus in ♄ ☉ & ♃, accedente ♄ ☿, & ☐ ♀, usu fructuum horariorum & lactis nimiam in-

ingurgitatione delectatus, petroselini & cæparum crebro cibos
condiens additamento, somnum in recens calce oblito cubiculo
capiens, ventorum Austrinorum afflatus in itinere passus, ter-
rore subitaneo ob periculum ignis consternatus; cum scabie la-
boraret, unguentis & libus eandem in corpus repulit. Paucis e-
lapsis septimanis calorem summa deferentem, incertum lumen,
nervorumque trepidationem, memoriæ sublapsum & versatio-
nem capitis prius expertus, somniisque turbulentis vexatus, sub
auroram surgens desubito convulsus concidit, vociferatur, ster-
tit, spumat, oculi fuere contorti. Interposito tempore ad se re-
diit, perque seipsum consurrexit. Pollex volæ insertus pertinaci-
ter à reliquis detentus fuit digitis. Elapsis quatuor septimanis,
tempore novilunii altero paroxysmo conflictatus, petit consi-
lium.

RESOLUTIO.

AFFECTUS, ægrotum nostrum premens, est vitium comitia-
le, *Seneca* dictum, *Epilepsia*, morbus ille sacer & Herculeus.
Lunaticum appositè hunc nostrum dicere possumus, cum & in
novilunio sit natus, & in novilunio morbo correptus æger.

Confirmant id signa in Historiâ allata ESSENTIALITER
INHÆRENTIA, Convulsio subitanea & præceps in terram
lapsus; ESSENTIALITER CONSEQUENTIA in actionibus
læsis, animalibus, vociferatio, & sensuum omnium ecclipsis; vi-
talibus, stertor; excretis & retentis, spuma circa os, & profusio
femoris involuntaria; in qualitatibus mutatis, oculorum distor-
sio, ingratum hunc stipantia hospitem, infallibiliter ipsum de-
tegunt.

CAUSÆ & SIGNA prægressa, inprimis summa deferens
calor, incertum lumen, nervorum trepidatio, & reliqua in Hi-
storiâ subiecta prolixè idem asserunt.

SIMILITUDO non abludit. Quamplurimos vidi, con-
vulsione ejusmodi in terram prostratos, iisdemque symptoma-
tibus extra se abreptos, ab omnibus tamen, non medicis solum,
sed & ipso vulgo pro epilepticis habitos.

Nec est, quod scrupulosè quæramus, an morbus sit, an symptoma, cum ipsum sese malum in symptomatum classem vindicet.

Magnum hoc est malum, tum κατὰ τῆς βεβλαμμένης ἐνεργείας αἰτίωμα, secundum dignitatem actionis læsæ, nempe animalis, tum κατ' οἰκίαν εἶσαν τῆς Διαθέσεως, propriam essentiam dispositionis.

SUBJECTUM ADÆQUATUM est totum corpus. Hoc enim totum & secundum omnes partes convellitur, id est, contrahitur secundum omnes partes versus suam originem. PRINCIPALE est cerebrum, non secundum meatus & ventriculos, sed potissimum membranas partes consideratum. Musculi per consensum afficiuntur.

Duplici modo cerebrum in Epilepsiâ patitur, vel per essentiam, quando proprio in sinu & generat & fovet anguem; vel per consensum, quando vitio alieno partis extra arbitrium suum positæ generatum suscipit & adservat. In nostro ægro admittitur solum essentia, (cerebrum enim ad id malum per se dispositum fuisse, historiæ circumstantiæ narrant) consensu tamen sanguineæ massæ, ob retropulsam scabiem fortiter inquinatæ, limitata.

CAUSA IMMEDIATA, ex Veterum quidem placitis, est obstructio partialis ventriculorum cerebri, ut sit morbus in viâ, adeoque obstructis nervorum portis, spirituum animalium motu intercepto, partes sensu & motu destituantur & convellantur; Sed juxta Recentiores rectius accusatur concussio & vellicatio cerebri, ab expultrice facultate membranarum ipsius irritatâ, quæ materiam vitiosam, peculiariter sibi infestam, excutere annititur.

MEDIATA PROXIMIOR CAUSA quoad essentiam duplex occurrit: Humorosa & vaporosa. Illa effectivè, hæc affectivè.

Humores in nostro ægro peccant serosi, biliosâ Tincturâ inebriati. Serosi se à posteriori offerunt conspectui, laboravit enim scabie, serosorum humorum productio primario. Biliosi à priori, temperamento scilicet choleroico patefcunt.

Vapores ab ejusmodi humoribus elevati sylvestres singulari moris mali insigniti sunt notâ, quâ non solum adversi redduntur generi nervoso, membranisque cerebri, verum & ipsis animali-

bus spiritibus, qui ab illis impetiti tantas turbas in paroxysmo edidère.

Fit à vapore, quia citò exsurgit, & citò iterum disparet: ab humore, quia vapores non carent minerâ suâ. Elevantur ab hâc acres & retorridi halitus, & sublati in cerebrum, non aliter id percellunt, quàm venenata ac substantiæ ejus infensa ac inimica qualitas.

Chimici accusant Θ lum ξ iale. *Paracelsus* Δ , Θ & ξ promiscuè nominans, unumquodque eorum potens satis esse arguit edendo huic malo ovo.

Alii succinctius vaporum hanc meteorisationem ex conflictu in Ξ ri Θ ti præparatione oriundo explicare satagunt.

Helmontius ex acore ventriculi causam vaporosam maximè arcessit, illamque archæum cerebri furibundum reddere censet.

Sylviani eundem affectum ex humoris pancreatici & biliosi vapida ascensione & cum cerebro communicatione deducunt.

Barbatus deleteriâ facultate peccantes flatus, spiritibus animalibus remistos, in proscenium adducit.

Audiri possunt singuli, cum res & vota eodem tendant.

Quoad *modum essendi*, delinquant humores hi *quantitate*. Sunt enim copiosi, & retrogrado scabiei additamento adaucti, magnæ utique activitatis.

Qualitas mordax & acris, ut antea insigni pruritu extimam exercebat vestem, à multis animato seminio adscripta, ita nunc, devolutâ interiora versus mole, cerebrum ad eandem suscipiendam coegit.

Motu peccant *generationis & locali*. Extra partem affectam in totâ massâ sanguineâ, hepate præsertim calidiore, vitiosa producta materia ad caput viam affectavit, $\omega\sigma\delta$ seu *pulsione* partium mittentium robustiorum, receptione debilioris cerebri adjuncta.

In cerebro ipso materia generata fuit per $\sigma\upsilon\nu\alpha\theta\epsilon\gamma\iota\sigma\mu\acute{o}\nu$ *collectionem*, recepta undique à *facultate lesâ* propter intemperiem calidiorem & sicciorem, ab *errore externo* operâ non minimâ collatâ.

Imbecillitas affectæ partis naturalis, & substantia glandulosa

losa aditum fecit liberiores, ζέσθι καὶ ἀλγχεύσθι fermentatione & segregatione humorum factâ, quâ potitum imperium serum procellam hanc excitavit.

MEDIATÆ REMOTIORES CAUSÆ ἀφορμὴν præbentes NATURALES sequuntur:

1. ÆTAS JUVENILIS, id quod *Cous 3. aphor. 29.* confirmat, & *Galenus in commentario* ad errores externos huic ætati solennes restringit, in nostro ægro concurrat.

2. HÆREDITARIA DISPOSITIO, quæ dubio procul & in infantiâ vestigia sui prodidit, seminale contagium aliis causis sustentatum jam explicuit.

3. INFLUXUS ASTRALIS non leve momentum contulit. Observarunt Astrologi, in novilunio natos sæpissimè corripi epilepsiâ, idemque malum plerumque recurrente novilunio ἀνισχυασιάν nancisci. Veritas asserti hujus & in nostro ægro emicat.

4. TEMPERAMENTUM BILIOSUM acres & acutas moleculas suas ad cerebrum misit, irritationi apprimè favens.

EX NONNATURALIBUS AER, ventorum furiosâ & infrunitâ vi saturatus, ingeneravit malum cerebri habitum. Austrinis verò præcipuè tempestatibus morbum hunc contingere, scribit *Hippocrates L. de morbo sacro.*

CIBUS & POTUS potentissimam in cōspositis corporibus epilepsiam concitandi vim habens, infelici ægri fato memorandus venit. Fructuum horariorum esus calorem debilitando, & cruditates accumulando, flatu quamplurimos generavit.

Lactis ingurgitatio nimia, in ventriculo expectans chylosin, in æruginosum & latum virus degenerare facile potuit. Hoc insinuat capiti sensim sensimque, vellicavit membranas, donec excedente dispositione naturali, excitum molestam exonerare molem concussione hâc convulsivâ allaboravit.

Cepæ nidorosam & sulphuream suffumigationem contulerunt.

Petroselinum penitus innoxium fuisse, asserere non sustinemus, utut alii apium veterum hoc esse negent, alii cum *Sereno* poetâ medico epilepticis mederi idem contendunt.

SOMNUS,

SOMNUS, insecens calce oblito cubiculo initus, nervosum genus virulentis effluviis mirum quantum perculit, ut mirandum non sit, surgentem è lecto laceffitum esse à morbo.

TERROR subitaneus consternatum ægrum maximo cumulavit damno, convulsivis funestus indiciis.

EX PRÆTERNATURALIUM classe *scabies* retropulsa, unguentis nervoso generi inimicissimis, omne fert punctum. Ut eliminatæ extra palatium quisquiliæ, si denuò inferantur, fordibus ingratis illud magis conspurcant: Ita purgamentum hocce sanguinis, iterum in corpus receptum, longè exquisitius illud percellit, quàm antea, cum nondum segregatum sanguini misceretur. Omnis itaque crudelitas in cerebro, minus in auxilium sui valido, constitit. Quicquid corpori dolendum fuit, in hoc transivit, quicquid cuti expiandum, in hoc.

Hisce parentibus satus affectus sequentium symptomatum lernam peperit.

1. *Calor summa deferens, incertum lumen, nervorumq; trepidatio & memoria sublapsus* turbatæ œconomix animali, & consequenter totius corporis debentur.

2. *Versatio capitis* à spirituum animalium cum flatibus peregrinis commistorum in gyrum motu dependet.

3. *Somnia turbulenta* vaporum copiam consequuntur.

4. *Subitus in terram lapsus* evenit propter motum musculorum tonicum, ab interceptis spiritibus animalibus læsum.

5. *Convulsio* facta ab irritatâ facultate expultrice, irritatis simul nervis & musculis.

6. *Vociferatio* insequens & *clamor* involuntarius oritur à convulsis musculis laryngis.

7. *Stertor* acceptus fertur impeditæ respirationi, musculis thoracicis officium non obeuntibus.

8. *Spuma circa os* apparet, vel quia roscidus pulmonum humor ebullit, & in os ingreditur, vel quia jactatione & violentiâ motûs spiritus cum humoribus luctantur & in spumam abeunt.

9. *Oculi contorti* fuerunt ob secundam conjugationem nervorum & musculos ophthalmicos irritatos.

10. *Pollex vola insertus pertinaciter à reliquis detentus digitis
basit, quia retrahendus versus principium suum ad aliam figu-
ram flecti non potuit.*

11. *Semen præter voluntatem in paroxysmo egestum, propter
musculos ejaculatorios convulsos, & vesiculas seminarias con-
cussas.*

Quid prædicendum rebus sic stantibus? Quoad SALU-
TEM & MORTEM *Celsus l. 2. c. 7.* optimum esse scribit, à mani-
bus pedibusque initium mali hujus fieri: deinde à lateribus:
pessimum inter hæc, uti hîc, à capite. Deinde dispositio hæredi-
taria malè ominatur. Tertiò Luna accessionibus damnisque
mutabilis impressiones fortes demittit. Ad hujus motum in-
crementa sumpturus in posterum videtur morbus. Porro pro-
cessit morbus ab essentiali labe & infirmitate cerebri. Accedit
denique, quod mentis sedes laboret, magnumque & grave peri-
culum intentet. Hæc omnia *δυσίατον*, si non incurabilem pla-
nè morbum minantur.

Sed benè sperare jubet ætas juvenilis, calido vegeto inna-
to, robustoque pollens. Ager annum vigesimum quintum non-
dum excessit, in quâ ætate positus *συναποθνήσκειν*, ad mortem co-
mitari epilepsiam scribit *divinus Senex 5. aph. 7.* adeoque matatio
ætatis & temporum, & locorum & victuum inprimis, *elogio 2. a-
phorism. 45.* amplam spem liberationis promittit.

Recens est malum, non inveteratum; levior ergò medici-
nâ oriens adhuc restinguetur vis.

Dispositio hæreditaria & influxus astralis cum nunc demum
plenariè imperium suum in ægrum exercere meditentur, quia
erroribus in diætâ & medicaminibus sopitis illis frena laxavit,
confodiendo iterum se exhibent prompta.

Et licet in ancipiti res libretur consilio, erigendus tamen
ægri nostri animus, inque spem humanum pectus dispensan-
dum est.

Quod duces magni faciunt, rebus affectis, ut hilaritatem
de industriâ simulent, & adversas res adumbratâ lætitiâ abscon-
dant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderint, &
ipsi collabantur, id nobis nunc quoque faciendum est. Indu-

cias menstruas dedit morbus, propediem quoque manus daturus.

LONGITUDO & BREVITAS determinari quidem nequit, sed cum diu cerebro insidere soleat epilepsia, nec facile pristino discedere habitaculo, verum magnam minari advectionem, partium ægroti nostri erit, omnia curiosè exequi & præstare, quæcunque gratiosè ipsum jubebimus. Miserum enim est, cum nolis mori, non omnia facere, ut vivas.

MODO EVENTUS cum epilepsia duplici ad salutem terminetur, vel integrâ solutione, vel humorum vitiosorum alium in locum μεταστροφή, parum intererit, si prius in nostro casu eligamus, seu, quod scabies retropulsa in mentem vocat, posterius. Probabile est, medicamentis expulsiuis materiam vitiosam denuò ad cutem decubituram, finemq; morbo, cui originem unà dedit, imposituram.

CURATIO absolvetur methodo medendi, & inde erutis indicationibus, cum materiis præsidiorum.

Indicatio curatoria περιπαύσιν ipsius paroxysmi attendit. *Præservatoria* περιφύλαξιν, ne iterum æger in paroxysmum incidat, remotione causarum concernit. *Vitalis* utrobique virium ανάληψιν exequitur.

PAROXYSMUS ipse omni studio vel præcavendus, vel, ut mitior affligat, moderandus.

Quamprimum æger advertet infelices præcursores instare, aquis epilepticis, balsamis apoplecticis & aliis, quorum ideam mox dabimus, se muniat, præsertim instante iterum novilunio, si forte, ut hætenus, tempus illud observet malum.

Correptus morbo, pectore & capite non nihil elevatus teneatur, non tamen in totum, ne diutius perduret invasio, omni motu inhibito.

Pollex vi ex volâ extortus parum vel nihil juvabit.

Nullum unquam auxilium præstantius in ipso paroxysmo expertum est, quàm frictiones validæ & violentæ brachiorum, crurum, scapularum & dorsi ipsius, vel solis pannis asperis, vel linteis ~ l. convall. urinoso & salvia imbutis factæ.

Os ægrotantis clausum aperiatur visco quercino, sambuco

ex salice depromptâ, vel radice pæoniæ, ut spuma effluat & respiratio liberius procedat, tùm quoque ut medicamenta ingeri possint, quo fine lingua, cujus demorsio sic præcavetur, illinatur theriacâ vel mithridatio.

Pulvis sternutatorius sequens naribus infletur.

Rx. *pulv. flor. lil. convall.* ℥j. *castor. ppt.* gr. vj. *ambra* gr. ij.

Misce F. pulvis. D. in chartâ. S. Kräftig Niesepulver. Dosis est pisi magnitudo pro unâ vice.

Rx. *rad. irid. Florent.* ℥j. *pulv. lil. convall.* ℥ß.

majoran. g. v. *mosch.* gr. j. M. F. pulvis. S. ut suprà.

Soliti sumus cum fructu adhibere externè ad nares volatilia urinosa; eadem & nostro suadebimus ægro. Ad manum sit lixivium commune. Huic injiciatur pauculum de Oleo *co pulverisato. Excitatus & consurgens inde odor ad nares derivetur, vel ipse ~ Oleo *ci volatilis naribus adhibeatur, ut subtilissimam suam energiam cum inspirato aëre in penitiora capitis abdita vibret, facultatem animalem excitet, acorem, si quis adest, seu austerum vaporem discutiat, & ægrum brevi à paroxysmo liberet. Eidem fini inservit odor ~ CC. item balsamorum apoplecticorum, succini, majoranæ.

Commisura futuræ coronalis imbuatur *ol. cran. hum. ruta*, cum *castoreo* imprægnatis & *ol. nuc. mosch. expresso* subactis.

Cæteris ad manum non existentibus, manipulus Olei cervici applicetur, dum cætera acquirantur. Interea paretur clyster acris & revellens.

Rx. *fol. ruta*, *salv. origani* a. mj.

sem. pæon. anisi, fœni græci a. ʒij.

fl. pæonia, *chamameli* a. mß.

visci querni ʒß. *rad. belleb. nigr.* ʒüj.

colocynth. in petiâ ligat. ʒj.

Coq. in f. q. aq. simpl. Colat. Rx. ʒix. adde

olei rutacei ʒj. *cheirini* ʒß.

elect. diacathol. ʒvj. Ogemm. ℥j.

vitel. ov. n. j. M. F. clyster.

Quæsitum, an Venæsectio statim ante paroxysmum, vel illo excusso sit instituenda, negamus. Sauciari tamen, ex mente

quorundam, potest digitus, & gtt. j. vel ij. sanguinis ægro offerri
ina quâ epilepticâ.

An gagatis, succini & aliorum graveolentium oleosorum
suffitu arcere paroxysmum, ægrumque excitare sit consultum, si
quis quærat, satius esse ducimus, levi paroxysmo exantlari,
quàm nidore ejusmodi, qui & extra paroxysmum epilepsiam
quandoque in dispositis redarguit & arcessit, gravare caput,
quod etiam de allio, aliisque vulgi suffitibus plerisque valet.

Ori diducto infundatur cochleatim per vices sequens mixtura:

Rx. aq. epilept. Langii, cerasor. nigror. a. ℥ij.

⊖ volat. cran. hum. gr. vj. ~ CC. rectif. albi 3℔.

cinnabaris Hungaric. Olaris ppt. ℥j.

sirup. pæon. ℥j. M. F. Potio. D. in fictili. S. Haupttränck-
lein uff etlichmal.

Nec opiatibus cum antepilepticis maritatis ante paroxysmum
cum Sennerto insiltere erit de nihilo, ut quies movendæ materiæ
imperetur, & morbus in centro detineatur, ne evagari possit.

Rx. confect. de hyacinth. ℥j. pulver. epilept. Craton. g. xv.

laud. opiat. nec cum acido, nec ~ uiso menstruo parat. g. ij.

ol. campb. gtt. j. M. F. c. f. q. sacch. & sir. pæon. l. a. bolus.

S. Stärckbissen uff jmal.

Solâ emulsione *seminum pæoniæ*, quibus ex Borelli encomio
sem. saponariæ addi posset) paroxysmum superavit Hildesheim.
specil. 7. de aff. cap. p. 598. Si dulcibus delectetur adeò æger, posset
hæc quoque pro usu parari, ut indigenti sit ad manus, licet, ut
verum fateamur, lubentius ea omittamus.

Insufurratio auribus ægroti facta, non supersticiosâ vocum
certarum enarratione, sed suscitationis quâdam *ἐνεργεία*, præ-
sertim si antepileptica prius fuerint masticata, non erit frustranea.

EXTRA PAROXYSMUM curationem suscipiemus ordinari-
am, ex usitatis præsidiorum fontibus.

EX CHIRURGIA deprompta VENÆSECTIO circa pri-
mam vel secundam Lunæ quadraturam instituatur, ut vitiosum
istud purgamentum, sanguini denuò nuptam, educatur. Hæ-
ret enim adhuc in suis incunabulis malum, hinc parte demptâ re-
liquum natura facilius superabit. Eligatur mediana brachii
dextri,

dextri, vel cephalica, & sanguis ad uncias aliquot cum tolerantiâ ægri emittatur.

Coindicant ætas vivida, sanguinis copiam faciliè generans, intemperies calida, & alia.

SALVATELLÆ quoq; sectionem, cum in extremitatibus vasorum restagnare soleant excrementa, non inutilem futuram censemus.

ARTERIOTOMIAM retrò aures, nisi emanferit morbus, insigni concomitabitur levamen. Calidæ ἀναθυμιάσεις, spiritus animales quæ turbant, hic datâ portâ exitum cum sanguine quærent. Nulla dura curatio, cujus salutaris effectus est.

Succenturiari his potest scarificatio scapularum, ipsi vulgo in impuritatibus sanguinis celebrata.

VESICANTIA, FONTICULI, SETACEUM, valida & generosa præsidia, si pertinacia morbi impedimentum omne transcendat, magnam de se faciunt expectationem.

EX FONTE PHARMACEUTICO suggerunt se primò LENIENTIA, impedimenta curationis ex primis viis auferentia.

- Rx. *Tri Olati* ʒj. *Θ fumarie, rad. gialap. ppt. a.* ʒß.
M. F. pulvis. D. in chartâ. *Σ.* Lindpulver uff 2 mal.
Rx. *M. P. aloet. nostræ ordinat. extr. fumar. a.* ʒß.
elix. ceph. q. s. M. F. l. a. pilulæ minores. D. in pyxide.
Σ. Lindpillen uff j mal.

PRÆPARANTIA digestiva maximè sunt necessaria, quò peccans humor aptus ad expulsionem reddatur, per unum vel alterum diem continuanda.

- Rx. *aq. borag. pæon. fumar. a.* ʒj.
~ Oli volatilis, essent. fumar. compos. a. ʒj.
sir. corall. Querc. ʒvj.
M. F. Haustus. *Σ.* Blutreinigend Träncklein uff 2 mal.
Rx. *rad. pæon. D. decresc. collect. fragar. cichor. a.* ʒß.
fol. beton. meliss. a. mß. summit. fumar. mij.
sem. pæon. filer. mont. citr. a. ʒß.
visc. quern. ʒvj. Coq. in s. q. seri lact. capr.

Rx. colat. ℞j. *sirupi de senā. corall. a. 3j.*
mistur. simpl. 3j. essent. fumar. 3j.

M. F. Potio. D. in fictil. S. præparir, Trancß uff 4. oder
5 mal.

Rx. *∇ cichor. beton. polychrest. a. 3℞.*
Tinctura ʒii ℞ risat. c. rhabarb. 3℞.

M. F. Haustus. S. digestiv Trancßl. uff 1 mal.

Humores hoc modo digesti educantur propriè dictis pur-
gantibus:

Rx. *∇ pæon. fumar. salv. a. 3i℞.*

In his infund. per *ρ. rhabarb. Alex. 3℞.*

trocb. de agar. 3j. fol. sen. Alex. ss. 3℞.

fibr. belleb. nigr. 3℞. ☉ ℞ gr. vj.

fl. nymph. borag. a. pij. cinam. 3j.

Mane leniter ebulliant. In colat. dissolve

mannæ elect. sir. de cichor. c. rhab. a. 3℞.

oxym. belleb. ʒul. 3ij. M. F. l. a. haustus.

S. Purgiertrancßlein uff ein mahl.

Rx. *pulv. purgant. Comit. de Warvvick. benè ppt. 3j.*

℞ Olat. Dar. gr. vj. mag. gummi Peruviani gr. iv.

elaosacch. macis gr. ij. M. F. pulvis S. Purgierpülver-
lein uff ein mahl.

Rx. *pulveris laxat. vegetabilis, animæ ejusd. a. gr. xj.*

extr. belleb. nigr. gr. v.

elix. cepb. q. s. M. F. l. a. pil. D. in pyxide. S. Purgier-
Pillen uff 1 mahl.

VOMITORIA, ut cruditates in ventriculo ab ingurgitati-
one immodicâ residuæ expugnentur, accersenda quoque sunt.

Valet hic ☉ Oli, experientiâ A. Sala commendatum, vel

Rx. *∇ beton. 3ij. manna vomitor. 3i℞.*

extr. asar. gr. v. oxym. belleb. 3℞.

M. F. Haustus. S. Brechtrancßlein.

Rx. *∇ bened. Ruland. 3j. cinam. 3ij.*

sir. comall. ʒ. 3vj. M. F. Potio. S. Brechwein.

Rx. *crystell. ʒii emeticor. hepatici rubri. a. gr. iij.*

D. in chart. S. Brechpülverlein. Assumatur cum brodio
gallinæ tepido.

Sudo-

SUBORIFERA radices sanguineæ massæ infixas, ipsiusque scabiei residua miasmata dissipabunt partim, partim ad cutem detrudent. Unica in his curationis residet spes, unum auxilium.

Præberi poterit decoctum *ligni sancti* cum *visco querno*, aliisque mundificantibus & epilepticis remixtum. Vel

Rx. *Tinctur. corall. cum lign. parat. bezoard. Dn. Præs. a. 3j.*
~us Fri rectificat. 3ß. Olistriati 3j.

M. in vitro. S. *Schweiß Mixtur.* Dos. 30. 40. gtt.

Rx. *▽ epilept. Lang. 3ij. ~ ligni sanct. 3ß.*
m. s. cum extr. pæon. tinct. 3j. sir. corall. 3ß.

M. F. Haustus. S. *Schwitztranc.*

Rx. *½ diaphoret. nivei, CC. phil. a. gr. xij.*
*Zz Opuriss. fl. *ci corall. a. gr. iij.*

M. F. pulvis. S. *Schwitzpulver.*

DIURETICA, cum *Θία* malum foventia ad vias urinas præcipitent, multi peculiariter hîc venerantur. Quocirca & nostro ea commendabimus ægro.

Crato terebinthinam hostiis involutam epilepticis commendat.

Rx. *▽ cichor. fragor. a. 3ij. ~ Θλ. 3ij.*

sir. byzantin. q. s. ad gratiam. M. in fist. S. Harntreibend Wasser. Dosis cochlear unum.

EVACUANTIA PARTICULARIA per nares & fauces, suprâ jam delibata, his subjungenda, dephlegmantia scilicet sanguinem & impurum quod est à capite revellentia. Nec obstat *Galenicum* illud: non esse *Δὲ κεκακωμένων μορίων* per loca affecta evacuandum, cum cerebrum hîc læsum & affectum sit. Evacuatione totius prægressâ, innocua erit particularis.

ALTERANTIA SPECIFICA INTERNA & EXTERNA æger non omittat.

Ex regno vegetabili selectiora sibi commendata habeat, quis enim omnia enumeret ab autoribus descripta?

Alcohol musci terrestris clavati, experimento & inventione *Rolsincianâ* laudandum, spirituositate & volatilitate conspicuum, nostrâ experientiâ sæpius in epilepsiâ cum urinæ retentione expertum.

Viscum

Viscum quernum vel magis corylinum, cujus lignum oleum Heraclinum præbere, ad epilepsiam decantatissimum, Valentini Rulandi ad Fabricium Hildanum omni exceptione major confirmat affirmatio, & exinde præparata laudem merentur.

Ex *animali regno* cum hominis calvariam comitalis depulsionem facere, multoties felicissimis successibus se expertum, præter alios, ajat *Scaliger exerc. 112. p. 420.* non possumus non magnoperè illud ægro usurpandum insinuare.

Quoad sanguinem humanum, an ex nonnullorum suasu hauriendus sit, ex nuper jugulati hominis fluentibus venis, reponimus illud: miseri & anxii mortales terribilia & incognita remedia arcanam vim habere existimant. *Num* potius *hujus*, vel *secundinae humanæ*, si lubido sit, in usum trahat.

EX MINERALI REGNO Cinnabarin mineralem Hungaricam, quam vulgò *Cratonis* commendatione & experimentis celebrant, & apud hodiernos utramque absolvere paginam, experientia testatur, eligat. *Smaragdum* item & *corallia* indeque parata; Hæc enim & sanguinis impuritatem & epilepsiam respiciunt.

Ex his composita præscribimus sequentia:

Rx. Zz. nat. Olar. cum ∇ lil. convall. ppt. 3j.
cran. human. ppt. alcohol. musci terrest. clavat.
magist. castor. a. 3j.
smaragd. ppt. corall. ppt. a. 3ß.

M. F. pulvis. G. Hauptpulver. Dosis fit ʒi. vel 3ß.

Rx. pulv. epilept. marchion. ʒij. Zz. nat. ʒij. ʃ 3ß.
cran. hum. ppt. ras. ungu. alc. a. 3ß.
extr. visc. quern. helen. a. 3ß.
ambr. gr. v. ol. cubeb. gtt. ij.

sacchar. in ∇ ceras. nigr. q. s. solut. ʒiij.

M. F. l. a. rotulæ. D. in scat. G. Stärckende Haupt-
Püchlein.

Rx. conservæ peon. anthos, fumar. ruta a. 3ß.
extr. lign. al. ʒj. pulv. epilept. march. ʒj.
Spec. diamb. diamosch. dulc. a. 3ß.

Tinctura

Tinctura D 3ß. specif. cephal. 3j. conf. Alkerm. 3j.

sir. fumar. q. s. M. F. l. a. Electuarium. S. Stärccklaewerg.

*Rx. Mus 3 *ci 3lis, cran. hum. rectific. a. 3j.*

lil. convall. 3ij. 3 volat. succin. 3ß.

essent. cephal. 3. M. in vitro. S. Sonderbahrer Spiritus.

Dos. 20. 30. gtt.

EXTERNE, præter adducta superius, appendat collo *radicem pæoniæ maris*, observatione *Galeni*, & *Fernelii in consil. pro puer. epil.* utilem, quam tamen *Langius in epist. radicem* potius diptamni nostratis seu fraxinellæ esse autumat.

Sambuci in falice crescentis in nodulos scissas particulas certo tempore decerptas eâdem ope expectationem exsaturant quandoque.

Cucuphæ excephalicis concinnatæ continuè gestentur.

VICTUS RATIO proportionem respondeat propositis medicamentis.

IN DIÆTA NATURALI, lac & fructus horarii proscribantur. Cibus sit attenuans, à *Galeno* maximè laudatus. Sal-
sa, vaporosa, acria & nidorulenta, quales in specie sunt cæpæ,
à mensa absint. Carnes leporum, turturum, ova tremula, pis-
ces saxatiles palatum delectent. Petroselini intempestivus &
crebrior usus devitetur. Cœtera in tempore, qualitate & quan-
titate sint moderata.

VINUM, à *Carolo Pisone de morb. à serosâ colluv. ort. p. 145.*
in epilepsiâ pro veneno habitum, parcissimè hauriat, & quidem
solum oligophorum, vel medicatum. Cerevisia non nimis sit lu-
pulata.

IN VITALI, AER sit purus & temperatus, nullis odorum
foetidorum effluviis inquinatus. Mutatio hujus per mutatio-
nem regionis commodè instituetur.

IN ANIMALI SOMNUS sit moderatus. Horis binis vel
tribus à cenâ

————— ———— *det membra sopori*
mollibus in stratis, vacuus curâque metuque.
Corpora sic prodest morbo confecta foveri.

Decumbat capite nonnihil elevato, non verò in dorso Lucubrationibus omnibus intempestivis valedicat. *Quibus enim caput affligitur, ait Celsus, iis ne cogitatio quidem à cœnâ tuta est.* More ergo Asinii Pollionis apud *Senecam*, qui à cœnâ nullas resignabat aut legebat epistolas, animo curis soluto & tranquillo cubitum concedat.

Danda est remissio animis; meliores acrioresque requieti surgent. Lunares radii, cerebrum gravantes & epilepsiam facile suscitantes, prohibeantur à capite.

MOTUS & CORPORIS EXERCITIA ante cibum fiant. Illi, teste *Pisone*, ut ad omnium morborum, ita inprimis ad epilepsiæ præcautionem maxima inest oportunitas. Ne quid tamen nimis. Remissiones præparamenta sunt ad labores: & arcus & lyra & homo vegetantur quiete. Tempestiva quies vires instillat, alitque.

ALVUS quotidie muneris sui memor servetur, si non naturâ, tamen arte sollicitatus.

ANIMI PATHEMATA, ira, terror, omniaque, quæ in dolores & terrorem ægrum dispensare possunt, cane pejus & angue fugiantur. Nil terrore ad epilepsiam suscitandam potentius, nihil in hac æquè nocentius. Moderata hilaritas in oculis habeatur.

VENUS an conveniat, dubium videri posset. Est enim ἀρεθισιασμός μικρὰ ἐπιληψία, concubitus parva epilepsia. Nihilominus, cum semen in paroxysmo excretum sit, adeoque copiâ peccare simul videatur, legitimum & honestum conjugium non dissuadebimus.

Spectamen miserum est, prostratum cernere morbo lunari, & rigido pollice membra quati.

Dulce

Dulce est in cathedrâ medicâ cum
laude videri,
& tanto auxilium quærere sua-
ve malo.

Gratulor hos ausus! I, doctam con-
fere pugnam!
i, morbis validam ferre paratus
opem!

*His
benevolentiam & affectum singularem Cl.
Dn. Respondenti testatur*

PRÆSES.

Sic TUA jam virtus tandem emicat, atque beatos
Viva PATRIS manes exhilarare parat.
Conscendis cathedram. Rectè ZEIDLERE! probatæ
Doctrinæ specimen sistere Apollo jubet.
Gratulor hoc coeptum, gratabor præmia, laurus
Cum Phœbea TUAS vinciet inde comas.

*Pauca hæc, Doctissimo Dn. Zeidlerero, Amico dilectissi-
mo, Parentis pientissimi, τὸ πρῶτον ἐν ἀγίοις, compa-
tris & confratris sui desideratissimi, filio haut de-
generi, laudandos ob conatus animitus applau-
dens,*

scribebat

Johannes Rodigast/ Eccl.
Grebenensis Pastor.

EXiguos haud esse tuos, dum suscipis, ausus
Censuræ morbum nunc sistere ab Hercule dictum
Doctorum, fateor. Cedant feliciter optat.

fida manus fratris

M. Georg. Michael. Zeidleri.

H*Actenus Herculeos Medicis,
ZEIDLERE, labores
Tractasti in studiis : id quod ab-
unde probas.*

*Dum morbum Herculeum, causas-
que modumq; fugandi
Morborum hoc monstrum, non
sine laude doces.*

*Applaudens illis Phœbus conatibus,
inquit :*

Doctoris beet hunc nomine
Jena brevi.

*Exiguus hisce de egregio, in arte Paoniâ edito, specimi-
ne Amico & fautori suo uti conjunctissimo, ita
honoratissimo ἀντιδότης grat!*

M. Samuel Rodigast / SS. Th. St.

F I N I S.